anno nō ſine magna ꝯtentione regnū pꝛīnū ſuſcipiēs regnauit vſq3 i pꝛeſens annis. xiiij vir quidem bonus igenioſuſq3: ac rei militaris ſcia eruditus ⁊ pꝛopterea. ſeptimo regni ſui anno Floꝛentini veneti ⁊ Mediolanenſes tanq̄ virum magnanimum ⁊ pꝛudentiſſimum contra Alphonſū calabrie ducem ⁊ hieronymū comitē ac federicū vrbinatē ducem ſui exercitus ducē cōſtituerūt qui i Seneſiū agros populabūdus ingreſſus pleraq3 coꝛuz oppida ſtati cepit verū diſſentiente ab eo federico mātue Marchione nō ſine ſuſpitione pꝛoditionis copiaꝝ partem amiſit. hic itaq3 pꝛincipatu ſuſcepto confeſtim helionoꝛam Ferdinandi regis filiā: mulierem coꝛdatā ⁊ magnanimem: accepit vxoꝛem ex qua iā ſex ſuſcepit filios: quatuoꝛ mares ⁊ duas feminas Deinde tertio regni ſui anno Nicolaum eſtenſem ex fratre ſuum nepotem adoleſcentem omni virtute inſignem: cum regnum īuadere ſtatuiſſz captū interficere fecit. nam ipſe Nicolaus qui regnum illud ſibi deberi exiſtimabat: ad patruum ludouicum cōfugerat dumq3 p tres ferme annos ibidē pmāſiſſet tādem a conſpiratoꝛibuſ ⁊ amicis paternis ferrarienſibus ad inuadendum regnum conuocatus. anxietate ai ⁊ aicorum ſuaſionibus permotus vna dieꝝ tentare foꝛtunam ſtatuit: ⁊ octingentoꝝ viroꝛum. oberratoꝛum exercitu congregato. Ferrariam clam ingreditur: ⁊ in foꝛum cum plauſu et timpanis perueniēs ad excitandos cōſpiratoꝛes ⁊ amicos clamare cepit. vella vella: hoc. n. cognomen Nicolao erat: ſz nulli ciuiū pp id arma mouere voluerunt. Dux autē Nicolaus eo in plauſu aliquādiu in foꝛū conſediſſet tandem a Sigiſmundo herculis frē cum aliqb⁹ ruſticis ⁊ alijs militibus: plurimus eius pugilibus obtrūcatis: vrbe fugatus eſt. quem tamē inſequētes tandem in paludem diliteſcētē cum. xx. eius ſocijs cepit: ⁊ ad helionoꝛam herculis vxoꝛem vinctū perduxit. helionoꝛā vero eum dulcibus verbis ſuſcipiens vſq3 ad aduētum mariti: qui⁹ Berreguardum conceſſerat: ſeruari pꝛecepit: Cumq3 hercules ipſe ferrariam redijſſet: pꝛecipiti conſilio vſus: mox ſacerdotes ad Nicolaū mittens edixit vt cōfiteretur: ſeq3 ad interitum pꝛepararet. ac ſic tertio die exacto. omnibus ſocijs in patibulo apēſiſ eum in arce capitali ſentētia puniri fecit: ⁊ facto mane: magna cum pompa: eo in veſte lugubꝛi cū neceſſarijs ſuis comitante: ſepelliri fecit. hic ēt paulo poſt Comites. ſancti Bonifacij: exigente tamen Juſtitia: extinxit: ⁊ eoꝛum bona ſuo fiſco adegit: hic tandez ſoceri ſui conſilijs cōmotus tergiuerſatis venetis ruptiſq3 eoꝛuz federibus. Ferdinādo ipi ſocero ſuo ⁊ alijs ſocijs colligationibus inheſit. ⁊ vt aiunt vetuſtiſſimas venetoꝝ Jmmunitates violare cepit. ⁊ quedā i eoꝛum contemptum ⁊ damnum moliri pꝛecepit: licet totum oppoſitum ipſe fateantur: que res maximum incendium intota Jtalia excitauit. pꝛo qua re veneti illum terra aquaq3 oppugnare ceperunt: ⁊ plurimas terras ei abſtulerunt ⁊ niſi Alphōſus calabꝛoꝛum dux regis ferdinandi filius: vir pꝛudentiſſimus ⁊ in armis ſtrenuiſſimus ei auxilio affuiſſet ac pius pontifex ⁊ execrationibus ⁊ armis eiſdem obſtitiſſēt: de eo actū

oīno fuiſſet Tandem pace inter omnes confecta Redigiū eum quibuſdam oppidis ⁊ to
tum pollicinum venetis dimiſit. habetur tamen hic hercules ab omnibus vir bonus aſtu
tuſqꝫ ingenioſus ac prudentiſſimus nec non et chriſtiane religionis obſeruantiſſimus: pro
qua ⁊ elimoſinas per multas chriſti pauperibus erogare non deſinit. ac diuina officia plu
rimum calens illa mirifice cū ingenti impenſa a cantatoribus quottidie celebrari facit vr
bem enim ferrariam multis edificijs ⁊ quidem clariſſimis illuſtriorem reddidit ipſe enim
cum eminentiſſimi ingenij vir habeatur quoddam inſolitum tormentorum genus adinue
nit. quod lingua materna paſſauolant appellatur terribile quidē ac formidabile tormētū
id tamen inuentum cuidam Bergomenſi artifici ſuo attribuitur. ipē ēt monaſteriū nr̄m
Mutine ſua ipēſa iſtaurauit.
Cometa ſtella: i principio huius anni circa feſtum ſancte Agnetis apparuit igneo colore ru
1472 tilans crinibus longis nigriſqꝫ: quos in occidentalem vergebat plagam. cuius quidem cor
pus primum circa libre principium fuit poſtea ſe tātum i ſeptemtrionem flexit: vt extra zo
diacum migraſſet proculdubio iudicatum ſit durauitqꝫ diebus. 80. Nam breuiſſimum du
rationis Comete tempus. 7. dierum longeſſimum vero octoginta Ariſtoteles tradit. Nec
iſto nūdū diſſoluto: alter apparuit. cui erat coma ignita que in arietis ſigno poſita vide
batur: ⁊ caudam in orienta lem porrigebat plagam Sequenti quoque anno Siccitas in
comparabilis ſubſecuta eſt. ⁊ peſtilentie bellaqꝫ cruentiſſima pluribus in locis euenere.
Nicolaus marcellus primus a ſeptuageſimus venetoꝝ dux hoc anno ſuffragijs omnium
1473 Trono duci ſuffectus ducauit anno vno menſibus tertio ⁊ diebus. 6. vir certe quem ob
ai ⁊ corporis dotes cum quocumqꝫ chriſtianiſſimo principe comperare merito poſſumus
qui liberalitate gratiaqꝫ omnium non modo patritiorum ſuorum: ſed ⁊ exterrarum nati
onum principum beniuolentiam ſibi comparabat pietatis: etiaꝫ ⁊ religionis miſericordie
ac munificentie vnicum exemplar. ab omnibus habebatur qui quo aduixit tempu vene
tam contra turcos optime defenſauit ⁊ quammaxime in Scodra illyrici prouincie oppi
do maximam de turcis per duces ſuos edidit occidionem. eo enim Mahumetus turcuſ cē
tum milia pugnatores ad oppidum capiendum miſit qui tandem cum maximo dedecore
diſceſſere. demū hic Nicolaus de deo deqꝫ hoibꝰ benemeritꝰ i ſenectute bona deficiēſ ap ō
cartuſienſes ſepellitur.
Aluiſius Salutiarum Marchio Aluiſij Marchionis filij Thome filius: hoc āno de men
ſe Aprilli patre defuncto. in paternum ⁊ auitum regnum ſuccedens: regnauit vſqꝫ in p̄ſens
annis duodecim vir certe magnanimus ſplendidus: liberalis. et perhumanus bonarum
qꝫ litterarum non mediocriter doctus ac rei bellice ardentiſſimus amator. Qui Gulielmi
Montiſferati Marchionis filiam cum ſpe ſucceſſionis dominij duxit vxorem. quia eidem
Gulielmo nulla maſculina proles ſupererat ⁊ illa primogenita inter ipſius filius erat.
Chriſtenes Rex dacie: Supecie. Noruegie ac Gothie ⁊ eſtonie dux vir quidem chriſtianiſſi
1474 mus ⁊ multis virtutibus ornatus hoc anno. vt Romam ſoluendi voti gratia peteret per
vniuerſam lumbardiam tuſciamqꝫ tranſijt. ⁊ ab omnibus potentatibus honorificentiſſie
exceptus fuit ea enim gratia illo proficiſci ferebatur non modo vt votum ſolueret. ſed et
vt chriſticolas principes contra turcum animaret Romam itaqꝫ ingreſſus prodeūte obuiā
honorato quoque cardinalium colegio a Sixto pontifice maximo per benigne ⁊ honorifi
centiſſime exceptus eſt. ac pro ſingulari munere Roſa aurea quam pontifices ſingulis ānis
in dominica palmarum alicui ex principibus chriſtianis donare conſueuerant ⁊ ipſe a ſix
to pontifice donatus eſt ibidem enim de vniuerſali italicorum principum pace agi cepit:
vt ſcilicet vno animo contra turcum conſentired res perfici non potuit. indeqꝫ digreſſus:
per omnes italie vrbeſ tranſiens magno ⁊ celebri honore vbiqꝫ habitus eſt domuꝫ deniqꝫ
reuerſus aliquot annis cū oī ſanctitatis exemplo ſuperuixit.
Petrus mocenicus: ſecundus ⁊ ſeptuageſimus venetorum dux hoc ipſo anno. 18. kalendas
Januarij abſens grato omnium patrum conſenſu. Nicolao marcello duci ſurrogatus. du

cauit āno vno ꝛ menſib⁹.2. Optimus quidem ꝛ eloquentiſſimus vir cuius rei cauſa oībuſ gratus ꝛ dilectus fuit. Qui cū domi foriſ ue Maris Imperio functus ēēt. aliquādo Aſyā ab elesponti faucibus vſqꝫ in Syriam ferro igneqꝫ oīa vaſtauit ꝛ caramanibus regibus venetoꝝ ſocijs a Mahumeto turcoꝝ principe oppreſſis in regnum confirmauit ꝛ cyprū insulam a coniuratis magna celeritate ac prudentia defenſauit. atqꝫ Scodrā totius albanie ſeu illyrici caput vna cū Antonio lauredano in ea tunc pretore ſuo ductu ſuiſqꝫ auſpicijs; vt dictum eſt: a graui turcoꝝ obſidione liberauit. ꝛ rempu. feliciter in omnib⁹ geſſit capp ēt abſcens diui Marci procuratoris titulo inſignitus eſt. Tādem dux declaratus: ei⁹ pmo āno mēſe ſecūdo: anni. 1476. moriēs i pdicatoꝝ baſilica ſepellitur. adhibita a ſenatu honeſta funeris pompa.

Hieronym⁹ Riarius ciuis ꝛ nobilis ſauonēſis. hocāno iectis i Imola Romādiole puīcie vrbe ſui principatus fundamētis. regnare cepit. ꝛ vſqꝫ i pñs. xi. annis regnauit. Ea enim. Ciuitas a Thadeo manfredo ſuoqꝫ genitore aliquādiu poſſeſſa. hoc ipo anno: eo et Guidatio eius filio inter ſe diſſidentibus. vrbem Galeatio Mediolanenſium duci ex cōi cōſenſu credidere quibus ad ſe vocatis caſtellum nouū in Alexandrino agro Thadeo tradidit. ꝛ pēſionem ſeu Stipendium annuale guidatio aſſignauit: ꝛ ipe vrbis dominium in ſe ſuſcepit quo ſuſcepto. Sixto. pon. maximo annuente ꝛ mandante: eam ipam vrbem hieronymo huic genero ſuo dotis nomine: prius tamen quadraginta milibus aureis ſuſceptis: tradidit Id ipſum pontifex ipſe Sixtus Ordelaphis mortuo pino anno domini. 1479. in foroliuio vrbe diſſceptātibus effecit. ꝛ ipſam Ciuitatem foroliuienſem eidem conceſſit: atqꝫ ita ab vxore pini vidua ipſam recepit. Quibus ciuitatibus ſuſceptis. ipſe hieronym⁹ nullum humanitatis aut beneficij genus ꝑtermiſit: quin ciuibus ꝛ vrbibus illis non contulerit. vt eas ad concordiā equanimitatem qꝫ ac ſui beniuolentiam ꝛ fidelitatem redigere poſſet. ei⁹ enim humanitate: modeſtia liberalitate ꝛ munificentia ac vrbanitate in primis imolenſis ciuitas tanta pulchritudine ꝛ ſplendore omnibus in rebus iam refulget: vt ex infima oīum vrbium fece: ad ſummam ciuitatum flaminie prouincie pulchritudinem prouenerit. Nam cum primum ipſius vrbis dominatum recepit: in ea Caſtellum ſeu Arcem munitiſſimam maxima Impenſa erexit: ꝛ preualido muro aliquibus in locis vrbem cinxit. et portas cū turribus ꝛ propugnaculis preclariſſimas adiecit Deinde domos lignaminibus ꝛ luto ꝯpactas omnes deponere fecit. et alias celebres cultaſqꝫ ſuo auxilio erigere fecit. Urbem quoque cenoſam ꝛ inmundam pulchris lapidibus ſtrauit atqꝫ ita tali dominio adeo ipſa ciuitas felix et iclita eſt effecta. vt cum opibus ꝛ pulchritudine mirumimmodum creuerit. et mira claritate reſplendeat: Id idipſum in Foroliuio efficere curauit. modo vrbem illam ad fidei ſinceritatem reducere poſſet: Hic enim princeps illuſtris ex Sauona vrbe genuēſium non obſcuro ſed nobili ꝛ honorabili genere natus infans adhuc patre ſublato honeſte ſub vidua matre nomine Blanca educatus. ꝛ generoſos mores ꝛ gratia affluentes habuit virtutes. Inde ex ſucceſſione petri germani tituli ſancti Sixti Cardinaliſ apud Sixtum pontificē maximū in hanc celſitudinem prouectus: ꝛ litteraꝝ ornamēto careat: hūanitate tñ ꝛ liberalitate: atqꝫ prudentia cum quouis principe ſui ſeculi comparari poteſt eiuſ namqꝫ compoſiti mores; manſuetudo: ꝛ humanitas ꝛ familiare ac vrbanum viuendi genus eum non ſolum pontifici ſed etiam multis principibus carum gratum que fecerunt.

Puelle monſtrum tempeſtate iſtac in veronenſi agro naſcitur que vnum caput tantum habet ſed duos podices duaſqꝫ vuluas habens ex ipſis ambabus vuluis ſuperfluitates emittebat in ſuper quatuor brachia ſed duo groſſiora que pro voluntate mouebat alia tenuiora ꝛ immobilia erant; ventres etiam duos circa ſtomachum coniunctos habebat. hanc parentes per Italiam circumferentes. precia ab inſpicientibus mendicabant.

Simō beatus Tridētinus puerulus: quē ob miraculoꝝ frequētiā beatū appellāt hoc āno 1475

in Tridētina Ciuitate. 8. kal. Aplis a Judeis necatus: xpi martir efficitur. Judei. n. ea in vrbe degentes Paſca ſuo more celebraturi: cum xpianum nō haberent Jmoladū: cuius ſanguine in azimis ſuis vti poſſent. puerꝝ hūc hoc modo in Samuelis cuiuſdam Judei domū furtim deportauerunt. Jn cuius collo primū ne vagire poſſet ſudariolū appoſuerunt: ⁊ nocte (que fuit paſſionis dñi noſtri Jeſu chriſti dies) illum ſuper altare eoꝝ Synagoge ſuper crucem extenſis brachijs impoſuerunt ⁊ primo priapulum forpicibus: mox genaꝫ dextram precidentes: ſudibus deinde pacutis hymonos eoꝝ more canentes vſqꝫ ad morteꝫ pupugerūt: quo mortuo: ſtatim eius cadauer in ꝓpinquum domus eorum flumen proiecerūt ⁊ ſic innocētis pueruli ſanguine perfidi ⁊ perditiſſimi Judei ſuum paſca cum omni gaudio celebrauerunt. Querentes deinde anxij parentes gnatuꝫ paruulum: poſtridie eum in fluuio inuenerunt. viſoqꝫ paruulo: ſtatim: vrbis pretori ſcelus denunciauerunt. Erat tunc pretor ea in vrbe Joannes de ſalis nobilis Brixienſium Ciuis: legum doctor: Qui viſo puero exhorruit facinus ⁊ ſua vſus prudentia confeſtim omnes vrbis Judeos comprehendere fecit. ⁊ ecculeo eos ſigilatim imponens: tormentis aſtricti: eo ordine crimen retulerūt quo diligenti examinatione: bis terqꝫ cognito: ipſe ingenti zelo fidei ſuccenſus: omnes Judeos aut cecidit: aut orbe ⁊ vrbe condignis ſupplicijs exterminauit: ⁊ bona eorum in predam dedit. Simon vero a conciuibus ⁊ parentibus collectus: ⁊ in templo deuotiſſime perlatus. multis e veſtigio cepit florere miraculis. ⁊ adeo in tantum eius miraculorum fama percrebuit: vt tantus ad eam vrbem ex omni chriſtiano orbe populorum cōcurſus ad ſancti huius paruuli ſepulchrum miraculaqꝫ viſendo eſt factus. vt etiam vrbs ipſa cum miraculis opibus multis ſit aucta. Et hoc nō ſine Judeorum maxima infamia ⁊ confuſione dictum ſit. Corpori vero ipſius pueri Tridentini Ciues baſilicam pulchram erexere.

Cōſimile ēt ſcelus apud Motā oppidū q̄ eſt i finibꝰ agri forijulij poſt q̄nquiēniū Judei pegerunt nā ēt aliū puerꝝ ſimili modo mactauerūt: pro quo tres eoꝝ venetijs captiui miſſi fuerunt: ⁊ atroci ſupplicio cōcremati ſunt.

6674 1475 Bertholomeus Coleonus clariſſima familia inter Bergomates natus: venetoꝝ maximꝰ Jmpator: hoc āno. 4. nonas Nouēbris: poſtea quā vno ⁊. 20. ānis Jmpatoriā dignitatē apud venetos exercuiſſꝫ apud Malpagā oppidū ſuū i agro Bergomēſi: etatis ſue āno. 75. morit ⁊ Bergomū delatus: regijs exequijs: in vrbis foro: iuxta maiꝰ tēplū: i mirabili ſepulchro: qd̄ ipe viuēs iuxta Jmpij ſui dignitatē ſibi extruxerat ſepellit. Js nāqꝫ Jmpator i auro ⁊ argento rerūqꝫ oium copia: ſup oēs ꝓuatos Jtalie viros ꝓcellebat. Quāobrē ēt nomē celeberrimū nō mō cū ꝓuicie ꝓncipibꝰ cōe: verꝫ extra ꝓuiciā: oēs cū ducibꝰ ⁊ regibꝰ titulos ēt q̄dā ai ſui virtute ſortitus fuit. Et qꝛ p virtutū gradus: ex domeſtica (vt ita dicā) ſorde illo cōſcēdit: vt p vnū ⁊. 20. ānos apud venetos Jmpatorie maieſtatis munus ꝓmeruit: iccirco haud abſurdū putauimus: in huius operis calce in vita huius nr̄i preclariſſimi Jmpatoris ꝓſcribēda ꝓter morem ſuſceptū: diutiꝰ imorari. Fuit igit in ꝓmis hic Bertholomeus Coleonus Jmpator formoſi ꝓcerịqꝫ corpis: ⁊ eximie venuſtiſſimeqꝫ p oēm eiꝰ etatē pulchritudis vir: ⁊ magni q̄ꝫ roboris ⁊ velociſſime agilitatis: q̄ velut alter Aſael frater Job. tātā gl̄iam i pedū velocitate hūit: vt nō ſolū hoies: ſed ēt equos ad curendi certamia ſuparit. Eiuſqꝫ magnanimitas i bellis ꝑtractādis nō ſatis ſcripto explicari poſſet. Lr̄aꝝ aūt gl̄ia: nec oino idoctꝰ aut gnarus fuit: lr̄aꝝ tñ hoium amātiſſimꝰ ⁊ aſſiduus fuit ⁊ multoꝝ hiſtoricoꝝ libros: vt mirabilis igenij vir erat ſubtiliter itellexit. hāc. n. ei ignorātiā: ideo eueniſſe tradūt: qꝛ i pupillari etate: Paulo eius genitore Tricij oppidi tūc dño: ab eiꝰ affinibus cupiditate dñandi obtrūcato: ⁊ matre in vincula cōiecta puerulus: ipſe: vltima laceſſitus paupertate: per deuia queqꝫ ſine lr̄aꝝ preceptore: quadam animi magnitudine ſe conferre coactus fuit. Et ꝓmo vt rei militaris fortune ſortem temptare poſſet. Placentiam ad Philippū Arcellatem tūc i belliſ clariſſimū Ducē (vt prima militie perciperet rudimēta) cōceſſit: Jnde ad Bracium in Apuliam tranſmigrauit: vbi ⁊ primū futurus honoribus prudens armiger factus viam aperire

cepit. De hinc ad Jacobū Candolam: q̄ Neapolim ↄ Alphonſum regine nomīe obſidebat
euolauit: vbi inter Impatoris milites tanꝙ Marius ⁊ Marcus Catonis filius p̄mus eni-
tuit. Et ꝓpterea viginti eq̄tibus illa p̄ma conditione eum p̄fecit. Paucisq̄ꝫ poſt dieb⁹ Bra-
cio ab ipſo Candola in Aq̄le bello (ipſo Bertholomeo militāte) īterfecto: eius q̄ꝫ virtutib⁹
ea in pugna ceteris p̄ſtantior declarata ⁊ p̄dicata in venetos euocatur. vbi ⁊ ſub Crimigno
la Comite ↄ Philippū Mediolani ducē bellū gerente militatuꝝ ſe cōtulit: cū quo ꝙ ſtre-
nue: quāq̄ꝫ magnifice: ↄ zarpellonū viꝝ audaciſſimū in obſidiōe Cremonēſi ſe exercuerit: n̄
facile narari poſſet. Eā obrē Senat⁹ venetus: ob clarā nois ei⁹ memoriā: ēt. 80 eq̄tes ſupra
q̄s habebat ei adiecit. Exīde q̄ꝓ ꝯſilio: q̄ꝓtaq̄ꝫ prudētia clarere cepit: ⁊ p̄ſerti in ſaluādis ve
netoꝝ copijs i expugnatiōe Bergomēſiū valliſq̄ꝫ camōice depopulatiōe. Dehic ēt i expeditio
ne ↄ Nicolaū piceninū Brixiā īſenſiſſie obſidētē: poſtmōm i defēſiōe Verōe ſibi ꝑ Senatū
venetū credite. Et poſtremo ei⁹ ꝙ ↄ temeritatē Guereri magnanimitas ⁊ fortitudo vſus ſit:
Senatus populuſq̄ꝫ venetus illo tūc: ⁊ deiceps retributionū meritis munificētiſſime ꝯpro-
bauit. Nec ēt p̄termittendū eſt: que poſtea Philippi Ducis noīe: apud Bononiēſes: Picen-
tes: ⁊ Cremonēſes: ſtrenue fortiterq̄ꝫ ac prudēter geſſerit belloꝝ facinora: licet vltimis vite
ſue tēporib⁹ ſuſpitiōe ductus iniqua carceris dānatiōe eum captiuauerit. veꝝ āno nec dum
euoluto: dux ipſe vita excedēs. Bertholome⁹ excarceratus fuit. Nec ꝑpea ſegnior: īmo auda
tior effectus: ſuū nō magno labore collegit exercitū: ⁊ iterato acceptiſ Mediolanēſiū ſtipen
dijs: mox ↄ Gallos i expeditiōem acceſſit: q̄rū furores motuſq̄ꝫ: quāta magnanimitate: for
titudieq̄ꝫ eos triplici triūpho fuderit. hic ei⁹ munera: ⁊ illic illoꝝ funera teſtātur. De hinc p⁹
trāſalpes: tātus hui⁹ Coleōis nois terror galloꝝ acolas īuaſerat. vt q̄aduixit ſemꝑ ip̄m du-
cē in eoꝝ exitiū natū horruerit. Et ideo Frāciſcus Sphortia Mediolāi dux: q̄ i Jtalia tāꝙ
ſe Alexāder enituerat: hui⁹ inuictiſſimi Impatoris laudes i bellis ꝑtractādis ad celos vſq̄ꝫ
extulit. Itidē Alphōſus rex iā p̄dē effecerat: adeo vt admirās hoīs virtutē atq̄ꝫ p̄ſtātiā dixi
ſſe ferat. Et ſe Bergomenſem ob cōceptā in eo beniuolētiā illūq̄ꝫ taraconēſem futuꝝ dein-
ceps decernebat. Eapp fertur: apud p̄factū Regē illud p̄clari Leōis iſigne illi a pricipis vxo
re a pricipio oblatū fuiſſe: q̄ idem pre occulis hn̄s: Leōis more militari acerrionia vehemē
tius in dies accēderet. Ad cumulū igitur clariſſimaꝝ ei⁹ virtutū declarādaꝝ Inclitus vene-
toꝝ Senatus: poſtremo illi iperij vniuerſalis ſceptrū tāta pōpa cōtulit: quāta vix humāi
faſtus ⁊ glie capax opinari q̄at. At ſceptro ſuſcepto. ei⁹ auctoritas oīum hoſtiū aīos ſuppreſ
ſit: vt ꝯfeſti Mediolanēſiū ⁊ venetoꝝ pax ſubſecuta ſit. Que ꝙ neceſſaria: q̄ꝓq̄ꝫ vtilis fuerit
oium iuditio relinquo. Bertholomeo itaq̄ꝫ i Impio ꝯfirmato: gliam q̄ſi de glia ꝓferre ſate-
git. virtutes q̄ppe maieſtati Impatorie neceſſarias ſūma diligētia ꝯplexus ē. Qui ⁊ ſi pacca
tor hoium more hirus fuerit. xp̄iane tn̄ religiōis obſeruātiſſim⁹ fuit miſeratiōiſq̄ꝫ i paupes:
ac pietatis i deū. Mōaſteria. n. tria ſua Impēſa cōdidit. Eccleſias q̄ꝫ nōnullas multis i lociſ
cōſtruxit ⁊ dotauit. Ingētia inſuꝑ legata ⁊ ꝑpetua: pro virginib⁹ paupculis maritādis Ciui
bus Bergomēſib⁹ dimiſit diſtribuēda: q̄ res certe eū imortalē ⁊ ꝑpetuo p̄conio dignū effici
unt ⁊ xp̄iane religiōis amātiſſimū fuiſſe demōſtrāt. Excoluit p̄terea Bergomū eiuſq̄ꝫ agrū
ac Brixiā maximis domoꝝ edificijs: Agrū q̄ꝫ Bergomēſem complurimis beneficijs. ſ. pere
grinas aquas maxima cum Impēſa introducēdo bonificauit. Indagauitq̄ꝫ Balnea pro le
pra purganda in Bergomēſi agro: atq̄ꝫ cōſtruxit. Quāto nāq̄ꝫ eo in Impio pricep̄s hic cla
ruerit cōſilio: prudētia: ac beniuolētia: reuerētia ue: legationes Regum: Ducum: ac princi
pum ad eū frequētes ipſe declarant. Nōnunꝙ pricipes ipſi pacem ⁊ ſocietatē ab eo pecie
re: ⁊ eum p̄ncipes multi ⁊ ꝙmaxime Carolus Burgōdionū Dux: ⁊ Joānes Andegauenſis
Dux i familias eoꝝ ꝑ priuilegia autētica aſcripſer̄: ⁊ ipoꝝ inſignib⁹ illum vti cōceſſere. Erat
enim erga oēs multe hūanitatis: clemētie māſuetudinis: bonitatiſq̄ꝫ: ac inequate hūilitatis:
virtutē vero ⁊ Juſtitiā re magis ꝙ verbo excolebat. Seditioſiſſimoꝝ iſenſiſſim⁹: ferebatur
ei⁹ aule amplitudo: pōpa: ⁊ glia oium principum aulas equauit. vbi de honore agebatur:
pecuniarum profuſiſſimus: nunꝙ pro ſplendore dignitatis ⁊ glorie ſupiorem pati voluit.

Erariū.n.venetū cū in inumerabilibus pecunijs heredē inſtituiſſet: ditiſſimū fecit. per plures.n.terrarū pncipes diuerſis ſub tēporibus Impator hic ſuo ſub vexillo habuit. Nouiſſimis vero diebus hi clariſſimi pncipes τ duces ei⁹ ſtipēdio vno exercitu ſed nō erubuerunt. In pmis Hercules nūc Ferrarie dux. Alexāder Sphortia piſauri dñs. Lichus τ pin⁹ ordelaphi germāi Foroliuij pncipes. Haſtor Mãfredus Fauētie dñs. Bonifatius nūc Mōtiſferrati Marchio: Joānes Frāciſcus Mirādulanus comes cū duobus filijs. Marcus Carpēſis Deiphebus Anguilarus: Joānes antōius Cādola eqs: Sphortia fr̄ Frāciſci ducis ex pellice fili⁹. Gerardus. Gaſpar: τ Jacobus martinēgi eiuſ generi oēs: τ alij multi. Tāte.n.eo tūc formidinis fuit: vt Federicus Ceſar iturus Romā: p legatos ſuos ſuplex ab eo ſaluū cōductum expoſtulare ɔpulſus fuit. has itaqȝ huius clariſſimi nr̄i Impatoris laudes: ad multorū exēplū breui ſub cōpēdio hic p viribus cōſcribere voluimus: vt nobile hoīs exēplū legētes poſſit emulatiōe ac deſiderio imortalitatē adipiſci.

Capha Genuēſiū Ciuitas: q̄ eſt i ſeptētrionali plaga: i littore Euxini maris τ nō lōge a Meothide populoſa quidem τ mercatoribus plurimū apta: hoc āno (quodā Squarzaphigo Ciue Genuēſi eam pdente) in turcorū manus deuenit. Odio.n. Galeatij vicecomitis Mediolani Ducis id ſcelus factitatū fuiſſe tradūt: q̄ oī igenio ipſam τ Genuam ſibi oino ſubicere nitebat: τ liberū pncipatū de eiſdē ſibi vēdicare volebat. Supiori aūt āno in Creta inſula cōſpiratiōe orta: Cretēſes turcorū regi fidē dedere arma ſuſcepturi ſi claſſem eo mitteret: τ Inſulā in eius potātē trāſlaturi: Sed re patefacta: cōfeſti Impator claſſis venete cū. 40. biremibus armatis ad Inſulā nauigauit. Eaqȝ claſſis vbi a Cretēſibus viſa eſt: adeſſe turcū crediderunt τ turci nomē inclamantes aduerſus vrbis pfectos τ cuſtodes inſurgētes in eiſdem plurimū deſceuiere. verū claſſis Impator remiges τ pugiles in terrā exponens cōſpiratores oēs ceperunt τ multos eorū interfecerūt. Audientes aūt hoc turci: cōfeſtim in Euxinū mare quod eſt tranſboſphorū nauigarūt: τ terreſtribus copijs ſequentibus: pter oium expectatione apud Capham ɔſtiterunt: τ expugnātes lacerāteſqȝ vrbē tandē cū magna cede (illo pdēte) ciuitatē ceperunt.

Padus τ Tyber reliqȝ oēs Italie fluuij: hoc āno Nouēbrio menſe (ex multitudie Imbriū) ita excreuere: vt extra alueū effluētes mlta accolis dāna intulerit: q̄ nō ſecus p vias mortales nauigabant: ac p eorū fluminum aluea facere cōſueuerant. Decreſcentib⁹ paulopoſt multa aialia: τ q̄maxime Tyber ſecum traxit ex quorū putrefactione τ flatu maxima peſtiſ ſubſecuta eſt.

1475 Ferdinādus ei⁹ noīs. 3. Joānis Aragonie regis fili⁹: hoc āno Helyſabeta Hērici hiſpaniarū regis ſorore: vxore traducta hiſpanie vlterioris Rex efficit: τ nūc vſqȝ eo i regno. x. ānis regnauit. Deīde pr̄e Joāne in āno xpi. 1479. deficiēte. ēt τ Aragonie ſeu citerioris Hiſpanie: Nauare. Sicilie. Balearūqȝ ac Sardine regna obtinuit. τ oium xpianorū regnū ppotētiſſimus rex euaſit. Nā hērico Hiſpaniarū vlterioris rege ab Edouardo Anglorū rege ſupato τ vna cū vxore τ filijs iterfecto ſola Helyſabeta ſoror ipi⁹ hēriri ſupſtes remāſit q̄ Ferdinādus iſte adhuc Joāne pr̄e viuēte vxorē duxit τ i regnū fr̄nū ſucceſſit verū cū puicia ſeu regnū diuerſis populorū ſtudijs diuideretur q̄ alij hunc τ Helyſabetam regnare volebant. alij autē inter quos Alphonſus portugalie rex erat. qui Joannam filiam ex ſorore alia hērici nepotem fouentes regnare volebant regnum diuiſerunt: τ plurimum lacerauerunt. At Ferdinandus hic: vt erat Juuenis prudentiſſimus τ acerrimus propugnator: contra Alphonſum portugalie ſtatim bellum ſuſcepit. τ poſt dira certamina τ cedes innumeras: eum in Numentano agro profligauit: τ ſic regnum omne in pace poſſedit. Deinde cum chriſtianiſſimus Rex cenſeatur: τ regnorum potentia: Diuitijs: Prudentia: conſilio magnanimitate conctos chriſtianorum principes excellat fidei zelo ſucceſus ſuperiori anno qui fuit annis a natali chriſti. M. cccclxxxij. contra Miletem Bleuſem Granatē ſeu Betice regem ſecte Mahumetee ſectatorem vna cum vxore ſua Muliere religioſiſſima bellum: terra mariqȝ ſuſcepit τ iam illum (ablatis Arunda τ Marandia vrbibus fortiſſimis ac maximis) in magno

diſcrimine poſuit. In eo.n.regno cū plurimi adſint Iudei captis vrbibꝰ aut eoſ baptizare ꝯ
pellit:au t certe ignibus exurit.

Andreas vendermínꝰ.73.venetoꝝ Dux:hoc āno.P.Mocenico duci ſuffectꝰ ducauit āno.1. 1476
ꝛ meñ.4.vir qͥdem etate ꝛ auctoritate grauiſſimus:atqꝫ opibus īter venetos affluētiſſimus
de quo ob ꝑ̄ncipatus breuitatē nil memoria dignū habui:qđ lr̄is mādari poſſit.niſi ꝙ cum
Ludouico frācoꝝ rege id fedus ꝑcuſſit:quod cumi Mediolani ꝛ Ferrarie ducibuſ antea ve
neti ꝑc uſſerāt.Deinde cum Mahumeto tucoꝝ Imꝑatore pacem componere tēptauit :ſed
a Ferdināďo Apullie rege atqꝫ a Mathia vngaroꝝ rege ꝑturbatus:oīa(vſqꝫ ad ſucceſſo
rem ſuum)irrita fuere;Deniqꝫ cum Iuſte ītegreqꝫ magr̄atum ſibi creditum ꝑ annum ꝛ ali
quot menſes adminiſtraſſet vt optimi ꝑ̄ncipis deſiderio relicto:moritur:ꝛ in Eccleſia ſer
uoꝝ ſepellitur.

Carolus Burgūdionuꝫ Dux Philippi optimi ducis filꝰ vltimus ex illuſtriſſima regiaqꝫ Frā
coꝝ familia natus:hoc anno cum ꝑ̄ncipatum in vniuerſa ferme Belgia decem ānis tenuiſ
ſet:dum lingones Treueroſqꝫ debellaret apud veriacum treueroꝝ oppiduꝫ a Sueuis ma
gno prelio quod per.30.horas ꝑdurauerat ſuperatus ꝛ fuſus ac ꝓfligatus tandem obtrun
catus mortem obiuit.Uir certe fortis:Seuerus magnanimus:atqꝫ terribilis:ſed Iuſtus li
beralis:elymoſinarius:ac diuinoꝝ obſequiorum feruētiſſimus obſeruator:quippe qͥ quot
tidie diuinum officiū ꝛ tres Miſſas deuotiſſime audire volebat.Hic nāqꝫ ab ipſa ſua ado
leſcentia ferrocitatem aī ſui in expugnādis hoſtibꝰ pre ſe tulit.Nā cum vigeſimū etatis atti
giſſet ānū ꝛ Gandauenſes Ciues a Philippo pr̄e quoddā ꝓ̄uilegiū extorſiſſent.ꝛ ab eo etiā
eiꝰ cōfirmationē quadā violēti importunitate obtinuiſſent:ipſe domum reuerſus:nō pauca
militū manu collecta:in Gādauiū duxit:ꝛ īpetu facto maximā de Ciuibꝰ edidit occidioneꝫ:
tantā vrbi illi calamitatē ꝛ terrorē inflixit:vt nūꝙ̄ antea ī vna pugna ex Gādauēſibꝰ tot oc
cubuiſſe a maioribꝰ memorie traditū fuit.vrbeqꝫ potitus:ꝓ̄uilegia oīa a pr̄e collata:ī medio
vrbis foro exuri fecit.Pͥcipatu deīde ſuſcepto:multas cū Ludouico frācoꝝ rege cōcertatō
nes ꝛ qͥdē graues habuit.pro quibꝰ multas illi calamitates intulit.Paceqꝫ cū eodē poſtmo
dum cōfecta a Leodienſibus germanis infenſus:ꝙ eius ex ſorore nepotē eoꝝ ꝓ̄ſulem in vin
cula cōieciſſent iratus:oēm belli vim in eos cōuertit:ꝛ Ciuitate deniqꝫ grandi furore obten
ta vniuerſos ī ea interfecit ꝛ trucidauit.nec vlli qͥdem ſexui:aut etati:ſeu dignitati parcere
voluit.Eo qͥppe bello ꝛ captiuitate tantā cedem crudeliſſimā Carolus exercuit:quantā ne
qꝫ grecoꝝ:neqꝫ latinoꝝ:aut Barbarorum refferant hiſtorie.Poſt autem cedem ꝛ direptio
nem editam.vniuerſam ꝓrſus complanare fecit vrbem:vt ne vnus quidem calculus reman
ſerit.In medio deinde vrbis foro erigere fecit Colūnam ſyriciam:in quā euerſiōis cauſam
ꝓſcripſit.Indeqꝫ digreſſus vrbe deſſolata relicta:pro Edouardo ſororio Anglie rege e Bri
tāia a Comite Doueruich ꝛ hērico portugalie rege pulſo exercitū multū cōgregauit.ꝛ ꝯtra
eoſdē ꝛ Ludouicum Francoꝝ regē bellū ſuſcepit:ꝛ breui illum in regnum remiſit:quo in re
gnum collocato ſtatim arma in Ludouicum regem conuertit:ꝛ multis eum incōmodis ꝛ
damnis attriuit:ꝙ cum apud Paulum pontificem Ro.nunciatum fuiſſet:mox eius cura ī
ter ipſos res compoſite fuerunt:his geſtis ad Nuſſiā Colonienſis agri oppidū qđ eſt ī ripis
Rheni duxit ꝛ illū acerrime obſedit:ſed cum Federicus Ceſar eius auxilio veniſſet : inito
federe diſceſſit in regnum.Dehic cum qͥeſcere nō poſſꝫ:cum Ludouico rege federe rupto ī
Lothoringiam ꝓuinciā exercitū duxit ꝛ cū eo Edouardū regem auxiliatorem iuocauit vbi
cum multis militibus cōueniſſet ꝓuinciā diu ꝛ acriter expugnauit vexꝫ Edouardo cū Lu
douico rege induciꝭs nouem annis firmatis eo etiam ꝓcurante a bello quieuit .Erat enim
Carolus hic acerrimus Iuſtitie defenſor vt pro illa tuenda:nullius iracundiaꝫ:nullius ini
micitiam:nulliuſqꝫ ſimultatem aut potentiam extimeſceret:immo ꝛ aliquando metam ho
neſtatis excedebat.Deniqꝫ cum multas prouincias ingenti cede ſibi ſubegiſſet ad Nauſiam
dictionis Reimbardi Lothoringe Ducis vrbē cum quattuordeciꝫ milibꝰ tm̄ ꝑuenit in eoqꝫ
loco veniētes alias eiꝰ copias expectaturꝰ:vt itegris exercitibꝰ ꝯ Sueuos(qͥs vſitatiori voca

bulo Suiceros appellamus)maturaret. Dūq̧ ibi venīētes exercitus ꝑſtolaretur:ecce Sui
ceri coeūt:īprouiſiq̧ ante Lucano:ꝓximū quendā mōtem occupant:in quē dux ipe ēt pe
dites quadringentos vt ⁊ ipſi illū occuparēt miſit. Ibiq̧ Suiceri hoſtiū copias adoriūtur:
eaſq̧ fugatas:populariter in ducis caſtra aduolāt:illūq̧ tāta ſtrage afficiūt:vt ex q̄ttuorde
cim hoīum milibus:vix quattuor milia fugiſſe ꝓhibeantur:alij aūt aut ceſi:aut ꝓfligati per
deuia queq̧ fugiētes Carolū deſeruere:quē īſequētes hoſtes tandē obtrūcauere. Atq̧ eo
mortuo hoꝝ illuſtriſſimoꝝ ducū genus:oīno extinctū eſt. vnicā. n. filiā noīe Mariam hic
regni heredem tantum dereliquit:que Marſilianum Federici Ceſaris filium ſtatim accepit
maritum:ex quo cum duos genuiſſet filios:⁊ ipſa paulopoſt ex quo delapſa:fractis ceruici
bus expirauit. Eoq̧ modo hec ipſa Burgūdionū familia ꝓpter crudelitatē radicitus euul
ſa eſt. vt oēs cognoſcāt:quātam ꝓuidentiā humanaꝝ etiam reꝝ ꝓbatur habere deus:⁊ quo
modo bonos ⁊ miſericordes:⁊ nō ſanguinem appetentes diligat:crudeles aūt abhorreat ⁊
a terra diſperdat.

Joānes Maria vicecomes. 6. Mediolanenſiū dux. Galeatio p̄re duce īfeſto ſancti Stepha
1477 ni ꝓthomartiris a ſuis īterempto:hoc āno ī feſto Epiphanie etatis ſue āno nono patrū de
creto in Ducē ſublimatus ⁊ declaratus:ſtatim ī templum beate Marie deferf: ⁊ vniuerſo
aſtāte ⁊ ſpectāte populo:circūſtātibuſq̧ patruis oībus cū vniuerſo regni magr̄atu Bireto
⁊ reliq̄s ducatꝰ ornamētis īſignitꝰ. Et eiꝰ regni cura ꝑncipalis:q̄adusq̧ adoleſceret. Matri no
mīe Bone:cognatiſq̧ ac q̄buſdam ꝓceribus demandata eſt. Veꝝ cum nulla ſectura repe
riatur regni ſocietas. Cichus Calaber. q̄ regni ſecreta multo tempe nouerat:⁊ belli paciſq̧
leges ſemꝑ dicere cōſueuerat:vir q̄dem calidus:⁊ multaꝝ reꝝ experientia doctus:vbi ſe re
rū oīum moderatorē didiciſſet; aīaduertēs q̄ſdā defuncti ducis germanos magni ſpūs ado
leſcētes:ꝙ aliq̄n eiꝰ conatibꝰ obſiſtere poſſent:eos regno expellere curauit: ⁊ tāq̄ maieſtatis
reos paulopoſt:varijſ ī locis exilio ꝑpetuo dānauit. e q̄bus duos poſtmōm e medio tollere
fecit. Sup̄ſtites vero:tandē ī regnū reuerſi. Cichū quē nouerāt ſibi fuiſſe īfenſiſſimū capiūt
⁊ honeſto carcere in papiēſi arce recludūt:vbi cum machinatiōes ſuas faſſus fuiſſ;: tādem
capitali ſupplicio mulctatus:Bonā aūt mr̄em tāq̄ Juuenē ⁊ inexꝑtem paulopoſt ab admi
ſtratiōe amouerunt ⁊ ꝑncipalis regni cura Ludouico patruo adoleſcentis ⁊ Roberto Seue
rinate:ac q̄buſdā nobilioribus ⁊ ſapientiſſimis ciuibus comiſſa eſt. Qui cū ⁊ ipſi inter diſſi
derent. Ludouicus Robertum Seuerinatem Mediolano fugauit:⁊ eius copias Cōſtantio
Sphortie Piſauri dn̄o ⁊ cōſanguineo ſuo comiſit. que res ⁊ diſſenſio magna incōmoda ⁊
damna regno intulit:eo ꝙ Genuā ⁊ eius dictiōem amiſerit. ⁊ exercitus Mediolanenſis cu;
maxima Jactura apud Genuā ꝓfligatus fuerit:⁊ alia multa dāna ⁊ Jmpenſas ꝑferre ⁊ face
re cōpulſus fuerit. hic Rubeos nobiliſſimos ⁊ ꝑpotentes parmenſes ſibi rebelles Caſtellis
ſuis ꝑuauit:⁊ regno depulit:durūq̧ bellū pro defenſiōe Ferrarie ꝯ venetos geſſit. Hic autē
cū optime ⁊ pulcherrime indolis ⁊ ꝓmptiſſimi ingenij adoleſcens habeatur:optima de eiꝰ
regimine pollicetur beneficia.

1477 Vgnr Machmeth: Aſſimbei Sūcaſſini filius:hoc āno p̄re defuncto:in regnis parthoꝝ:pſa
rū:Medoꝝ:Meſopotamie:⁊ Armenie regnare cepit:⁊ nunc vſq̧ octo ānis regnat. vir cer
te ī rebꝰ gerendis magnanimus ⁊ p̄ri ſimilimus:qui cū eſſet p̄ri natu maior:vt quietius re
gnare poſſet:cōctos fratres ſuos ſtatim interfecit.

Maximilianus Auſterie Dux. Federici Imperatoris filius. vir preclariſſimus ⁊ magnani
mus:ac in armis ſtrenuus hoc anno a Maria adoleſcentula pulcherrima Caroli Burgun
dionum ducis filia ex conſilio procerum ſuorum inuitatus. cum potentiſſimo exercitu in
Burgundiam acceſſit ⁊ ipſam Mariam Illuſtriſſimam feminam ſibi in coniugem deſpon
ſauit. ⁊ ob hanc rem Burgundie ducatum ſibi vendicauit ⁊ nunc vſq̧ octo annis regnauit
Nō tn̄ hic tā maximu; obtinuit Jmꝑiu; ſicē Socer eius Carolus poſſidebat q; ipſo defun
cto Ludouicꝰ frācoꝝ rex mlta ſibi ademit. Quo āt tēpe Maria eius vxor vixit cū oī pace re
gnu; poſſedit ſed ea caſu Equi curētis defuncta multa a ꝓceribus ſuis ſuſtinuit certamina

cū nollent ipm oīno ſup eos regnare.

Franciſcus ſaluiatus natiōe Florentinus: Archiepſ Piſanus: malaꝝ machinationū īuentor: ⁊ eccłiaſtice dignitatis ac ſue ſalutis imemor: hoc āno cōpoſita machinatiōe: cū Rhaphele Sauoneſi Cardinali Diacono adoleſcente cū.300.hoīum famulatu Florētiā venit: ⁊ q̄buſ dā ſue factiōis cōuocatis: Laurētium ⁊ Julianū fratres Mediceos atqꝫ alios plures nobiliores Florētinos īterficere ordinauit. Atqꝫ ita rebus ordinatis: cōuocato vrbis magr̄atu in diue libertatiſ tēplo: pñte Cardinale Miſſam cum maximo apparatu celebrare ſe finxit in q̄ celebratiōe. Julianū Medicē Laurentij germanū a cōiuratis in Eccłia cōfodere fecit: ⁊ dū Laurētiū iteꝝ vulneratū oīno īterficere ſtatuiſſent ipſe ſua prudētia emanibus eorum euaſit. At Florentini cognita viri perditiſſimi fraude (multis ſceleris conſcijs trucidatis) ipſum Archiepiſcopum cū plurimis ꝯprehenſum: in medio vrbis foro: cū habitu epāli ignominioſe ſuſpēderut: ⁊ innocentē Cardinalem quoad res cōponerent. detinuerunt. Quas obres: Sixtus pōtifex Laurentium Medicem excōicauit: ⁊ oībus dignitatibus ꝑuauit: ac bellum Florentinis indixit.

Locuſte hoc eodē āno ī Brixiano agro ī maxīa multitudīe aduolarūt: q̄ Brixiānis ⁊ Mantuanis maximū ītulerūt dānū: q̄bus niſi Ludouici Mātuani pncipis ſolicitudo obſtitiſſ3: ſata queqꝫ ī tota lūbardia corroſiſſent.

Peſtis ſeuiſſima: hoc ipſo āno ꝑ totam quaſi Italiam debacata eſt: adeo vt in Brixiana vrbe ſupra.xx.hoīum milia ⁊ venetijs.30.ſiliter milia vrbane multitudinis extinxerit. Eā3.n. calamitatem ſolis eclypſis indicauit: qui eo anno Julio menſe fuit: atqꝫ locuſtarum multitudo.

Federicus gōzaga: Ludouici Marchiōis filius.3. Mātuanoꝝ marchio: hoc eodē āno p̄re Junio mēſe defuncto: ī Mātuanū regnū ſuccedēs: regnauit ānis.6.⁊ mēſe vno: vir pceri corporis: magneqꝫ virtutis ⁊ prudētie inſignitus: ac rei militaris ſcia nō ignarus: quē ob virtutu3 ſuaꝝ p̄ſtantiā: Mediolanēſis Dux ⁊ eius magr̄atus: ſtati in multaꝝ reꝝ nouitate: ⁊ ī ſūmis toti⁹ Italie difficultatibus: atqꝫ ī turbulētiſſima diuerſaꝝ pcellaꝝ fluctuatiōe: ſuaꝝ copiarū generalē Jmpatorē delegit: vt potiſſimū Florētis ſuccurreret: q̄s maxīa pōtificis ⁊ Neapolitani regis manus agreſſa fuerat. Eo q̄dē accedēs nō parua ꝯ hoſtes edidit facinora: hic Margaritā adhuc p̄re viuēte Alemanā accepit vxorē: ex q̄ p̄ter ceteros Joānē Frāciſcū pmogenitū ſuſcepit filiū q̄ eidē in regno ſucceſſit. Tādē cū Aſulā agri Brixienſis oli oppidū ſuū magnū ⁊ ppulchrū a venetis ī Ferrarieſi bello recupaſſet: ⁊ illud cum magna gl̄ia ⁊ voluptate aliquādiu tenuiſſ3: cernēs ꝙ eū reſtituere opus eſſet īfirmitate ex hoc ꝯcta: paucis dieb⁹ vitā cū morte mutauit: ⁊ apud ſanctū Frāciſcū ī ſepulchro patrū ſuoꝝ ſepultus fuit.

Joānes Mocenicus. P. Mocenici oli ducis germanus. 74. venetoꝝ Dux: hoc āno ex pcuratore ſcī Marci: pp ēt res egregie: pie feliciterqꝫ ī bello maritimo geſtas: Andree Uēdermino duci ſuffectus ducauit vſqꝫ in pñs ānis. 7. vir certe ī tāta reꝝ pturbatiōe tāto pncipatui pneceſſarius. Quippe q̄ prudētiſſimus: eloquētiſſimus: māſuetiſſimus. Comiſqꝫ: ac phūanus hituſ erat. Qui magr̄atu ſuſcepto ex Sēatuſ ſui cōſulto publice ſaluti cōſulēs cū iā āno ſupiori turci Forū Juliū īfeſto agmīe pcurriſſet: ⁊ oīa cedibus rapinis ⁊ īcēdijs īuoluiſſēt veritus ēt ne ī Jtaliā penetrarēt eo maxīe qꝛ cōſtabat q̄ſdā xp̄iāos pncipes lr̄is ⁊ nūtijs ī dies hoſtē ī Senatū cōcitare ⁊ iā p.27. ānos maximis ⁊ diutinis bellis ꝑ greciā ⁊ Macedoniā ꝯ eodē pugnaſſent imīnēte ēt ſibi nō paruo Jtaloꝝ piculo. ex Sēatus ſui cōſulto a mahūeto ipoꝝ pncipe pacē m̄tis difficultatib⁹ tādē ipetrauit ꝑ q̄ ēt p̄ter ānuale cēſum ſui tributū primo illi oībus redditis q̄ ſuoꝝ dictiōis fuerāt. Scodrā oppidū totius Albanie caput (quam diu obſidiōe cīxerat) dedit. Jd tm̄ ab eo obtinuit: vt Sēatus venetus magr̄atū Cōſtātiopoli mitteꝛ poſſ3 quē Bailiuā ducūt: q̄ ī eadē vrbe venetis Juſtitiā miſtraret. Quarto deīde ſui magr̄atus āno: cū (Hercules Ferrarieſiū Dux quē Sēatus ī dñiū collocauerat) vetuſtas venetoꝝ imūitates violaſſ3 dux hic inito cū Sixto pōtifice federe maxi⁹ bellū pado t̄raqꝫ illi duci ītulit ⁊ maxīs exagitauit ꝑlijs ideqꝫ ⁊ Robertū malateſtā belli ſui ducē ac claſſem va- 1478

ndā ꝯ Ferdinādū Apullie regē Herculis Soceꝝ (multis iniurijs pōtificē laceſſentē) miſit: q̄ claſſis vniuerſaꝫ Apullie orā populauit: ⁊ Robert⁹ dux Alphōſuꝫ regis filiū ⁊ Calabrie ducē ꝓfligauit: ⁊ multis ei⁹ comilitōib⁹ captis: Romā victos i triūphi modū ꝑduxit. Robertus aūt Sāſeuerinus vniuerſalis copiaꝝ venetoꝝ Impator: mlta opida Ferrariēſis agri cepit ⁊ mltas direptiōes ac vaſtatiōes circūquaqꝫ fecit ⁊ vrbē aliq̄ obſidiōe cixit; quāobrē vniuerſam Italiā aduerſum ſe cōcitauit: ⁊ niſi diuia affuiſſet clemētia: q̄ aduerſarios diſcordes effecit de re veneta actū fuiſſet. tādē pace īter oēs cōfecta: mltis ꝓſolutis pecunijs: pollicinū Rodigij ex Ferrariēſi ducatu ademit: ⁊ Senatui ſuo applicauit hic palaciū ſci Marci caſu exuſtū i celebriori forma reſtituit: ⁊ pulcherrimis hiſtorijs depingere fecit. Corpus ſeu reliq̄as ſci Rochi maxia cū celebritate excepit. ⁊ apud Mōaſteriū ſci Job collocauit.

Genua vrbs maritima celeberria q̄dē: hoc āno poſtq̄. 15. ānis ſub dictiōe Mediolanēſium
1478 ſubdita fuerat. excuſſo ſuitutis iugo (nō ſine magna cōtētiōe ⁊ armis auxilio Roberti Seueriatis eoꝝ copiaꝝ ducis) i libertatē ſe vēdicauit. Genuēſes aūt cū ꝑmū ſupiori āno Galeaz⁹ Dux īterfect⁹ fuiſſꝫ: factiōe Fiſcoꝝ nobiliū i libertatē ſe vēdicauerāt; ſed ſtati Fiſci a factione ſpinularū ⁊ adurnoꝝ ſupati: i Mediolanēſiū potātē rurſus redacta fuit. Rurſus q̄ꝫ a ꝓſpero doria ſublata. Mediolāi Dux vt iteꝝ vrbē ſibi i poteſtatē redigeret. duodeci hoīum milia ꝯ eos armauit: q̄b⁹ Genuēſes duce Roberto ſeuerinate obuiā facti: octo eoꝝ milia occiderūt: ⁊ reliq̄s ꝓrſus ſpoliatis ⁊ ꝓfligatis. Genuā redierūt. ⁊ Caſtelletū pugnaciſſimū (deiectis Mediolanēſiū ꝓſidijs) receperūt: veꝝ cū ꝓſper doria vrbē occupare tēptaſſet: a Frāciſco fregoſio ⁊ reliq̄s fregoſijs vrbe pulſus. Baptiſtinū fregoſiū Perini fregoſij. oli ducis filium ducē cōſtituerunt.

Baptiſtinus itaqꝫ fregoſius Perini olim ducis filius. 30. Genuenſiū Dux: hoc āno e Genua pulſo Mediolanēſiū dominio, ducatus munus ſuſcipiēs: ducauit ānis ſex: vir q̄dē māſueti animi: ⁊ multe virtutis ꝑclarus ⁊ apud oēs ſatis Juſtus habitus: q̄ ⁊ ſi emulatores pertulerit multos rei tn̄ publice ſue; pro viribus curā geſſit: ⁊ q̄dam ſibi ablata pro poſſe redimere ſtuduit: hunc obietus doria ſeu fiſcus pluries ducatu deicere tēptauit; ſed minime potuit Tandem a paulo patruo Cardinali ⁊ vrbis Archiepiſcopo magiſtratu deiectus etiā vrbe pulſus fuit.

Joānes cernoi Sabiaci vrbis Illyrici dn̄s: hoc āno a Mahumeto turcoꝝ ꝑncipe (dū ſcodrā oppidū obſideret) vrbe deiect⁹ ⁊ ſpoliat⁹ fuit: q̄ ſupato ⁊ fugato: ēt Deiuaſtū ⁊ Liſſuꝫ munitas Ciuitates cepit ⁊ ſpoliauit; ac eoꝝ Ciues vario tormētoꝝ genere trucidauit.

Carolus Mōtonus comes e ꝑclara Brachioꝝ familia natus; vir in armis exercitat⁹. hoc an
1479 no poſt ꝑclara facinora cū venetis alijſqꝫ ꝑncipib⁹ geſta: Peruſiāqꝫ etrurie vrbē fauore populi cepiſſet. Deīde ſtati dimiſiſſet ſenio ꝯfectus maxima cū glīa defecit ⁊ Bernardinū filiū comitē ⁊ heredem reliquit.

Ludouicus Sphortia Franciſci Sphortie fili⁹ ⁊ Joānis philippi marie Mediolani ducis patruus ⁊ tutor i exiliū cū fratrib⁹ ꝓcuratiōe Cichi calabri ſupiorib⁹ ānis actus hoc āno vna cū Roberto Seuerinate i lūbardiam reuerſus. Derdonā Ciuitatē ⁊ q̄dam oppida ex Mediolanēſi ducatu capit; quo tremore Mediolanēſis magr̄atus ꝑterritus exiliū eoꝝ ſoluit ⁊ in gr̄am humaniſſime e xceptus eſt ⁊ ſtati vna cū Bona Duciſſa. Ducis paruuli mr̄e; vt rēpu. gubernaret ꝑmarius cōſtitutus eſt. qui haud paulopoſt Bonā Duciſſam ꝓceꝝ cōſilio exautorauit. ⁊ Robertū Seuerinatē abire coegit; ⁊ Cōſtātiū Sphortiā cōſanguineū ſuuꝫ ⁊ Piſauri dn̄m i adminiſtratiōis curā auxiliatorē aduocauit; cui ēt copiaꝝ Mediolanēſium generalē curā comiſit. Ipſe. n. cū ſit vir prudētiſſimus ⁊ magne auctoritatis apud oēs Italos: pacē īter venetos Ferdināduqꝫ Apullie regē Herculē Ferrarie Ducē Marchionē Mātuanū: ⁊ Mediolanēſem ducatū optimā ꝯfecit.

Petrus dabuſon magn⁹ Rhodioꝝ militū magr̄ ⁊ dn̄s religiōis xp̄iāe amātiſſim⁹ vir q̄dē religioſiſſim⁹ prudētiſſim⁹ atqꝫ magnaīm⁹: hoc āno ꝯ turcoſ cū inumerabilib⁹ exercitib⁹ ⁊ tormētis vrbē Rhodiam vltima vi ⁊ deſperatione oppugnantes: ſue magnanimitatis magnum

experimentum dedit. Nam Mahumetes turcoꝝ Impator (vt ſupra traditū eſt vbi de ori,
gine quoꝝ militum mētionem fecimus) ingentē claſſem ⁊ maximam bellatoꝝ vim: cuȝ plu
rimis ⁊ maximis tormentis in Rhodum contra eos expeditionem fecit ⁊ per tres menſes
vrbem Bōbardis alijſq; miſſilibus indeſinenter p duces ſuos lacerauit ⁊ oppugnauit: ſed
virtute huius pncipis nil agere potuit. imo maximā exercitus ſui partem exterminauit at-
q; eidē celitus auxilium venit: qđ ſuis pugnantibus virtuteȝ pſtitit: ⁊ turcis terrorē imiſit: ⁊
ſic cum magna ignominia ⁊ damno obſidiōem ſoluentes domū rediere. Petrus aūt a pon
tifice Sixto ⁊ ceteris oībus Europe chriſticollis pecunijs adiutus vrbē ſtatim laceratam di
ligenti cura reſtituit: ⁊ fortiorē ac celebriorē fecit. Quamobrē nomē ſibi ⁊ apud deū hoieſq;
eternum compauit.

Pinus ordelaphus Foroliuij pnceps ⁊ Romani pōtificis in ea vicarius cum ānis multis ea ī
vrbe regnaſſet: hoc āno ſine liberis legiptimis deficiens: Spurium quēdam paruulū (ſeclu- 1480
ſis Frāciſci fratris legiptimis filijs) heredem ſub vxoris tutela reliqt: quem cū cōſanguinei p
dicti Frāciſci ab Imperio eicere tēptaſſent. Senatus venetus eū armis ſuis ꝓhibuerunt. ve
rū cum Galeotus Māphredus fauentie dn̄s Franciſci ordelaphi ſororius nepotes in regnū
reſtituere decreuiſſet: exercitum in foꝝliuium duxit: ⁊ vrbē quaſi cōprehendit ac relictā Pi
ni cum Spurio in arcem obſedit. quā cuȝ oppugnare cepiſſet: ab exercitu Hieronymi Ria
rij Sauonenſis ꝓhibitus eſt. ſed ⁊ ipm Galeotum vrbe expellens (pſoluta grandi pecunia)
a vidua ex cōſenſu pōtificis Romani vrbem: ⁊ arcem accepit: ⁊ ſuo Impio (cōcedente Six
to quarto pontifice) ſubiugauit. Fuerat. n. hic Pinus bonus ⁊ rei militaris ſcientia exerci
tatus: ⁊ multis ſub pncipibus cum gloria exercitus a Iuuentute ſua duxit: hic Foroliuien-
ſem vrbem multis edifitijs ⁊ potiſſimū Arce ⁊ nouis Menibus celebrem reddidit: ⁊ mltas
ac largas elymoſinas ꝓ viribus religioſis cōtulit.

Galeotus Māphredus: Aſtorgij Māphredi filius natu ſcđs: hoc āno Carolo fratre Fauentie
ſeu Fōri ſempronij dn̄o: a ciuibus ſuis pncipatu puato: ex Rauena accitus: vrbis dominiuȝ
ſuſcepit: ⁊ regnauit vſq; in pſens ānis quinq;. Hunc Carolus frater quom regnare cepiſſet:
videret maximi animi viꝝ: ⁊ in ea ꝓnam Ciuiū ſuoꝝ beniuolētiam: ne in regno ſibi adeur
ſari poſſet: vrbe depulit: pro qua re ſtatim ad Senatum venetum militaturus cōceſſit ⁊ in
ea diſciplina edoctus non mediocriter euaſit. Et ꝓpterea ipſe Senatus ſummo eum carita
tis ⁊ amoris affectu tamq̄ filium piucundum habere cepit: ⁊ militaribus copijs plurimum
euexit: ac rebus in arduis illum exercere cepit: in qbus nunq̄ fruſtratum Senatum ſpe de
reliqt. Ipſe. n. non modo in re militari clarus effulſit: veꝝ etiam ꝓ animi ſui magnitudie ac
ſuo virili animo plenus: ceteras oēs virtutes ⁊ mores obire nō impiger: ſed aſſiduus ſemp
fuit: ſicut reꝝ a ſe geſtaꝝ teſtimonia comprobare videntur. Cum ipſe bonaꝝ litteraꝝ diſci-
plinis imbutus: ipſe Iuſtus: ipſe liberalis. ipſe Comis ⁊ phumanus: ipſe eloqo dulcis: ipſe
munificus ⁊ magnificentiſſimus: ipſe prudentiſſimus: ipſe deniq; xpianiſſimus rerūq; diui
naꝝ obſeruantiſſimus ac pientiſſimus exiſtat. Cuius tota intentio nō niſi ad virtutem ad
Iuſtitiam: ⁊ ad eqtatem atq; ad moꝝ honeſtateȝ aſpiciat: oblectat. n. q̄ maxime in lrārum
tam diuinaꝝ q̄ humanaꝝ ſtudijs: ac muſica ⁊ organis alijſq; virtutū generibus: eiūs qdeȝ
cura atq; diligentia nil aliud expetere videtur niſi vt ſui memoriam ⁊ imortalitatē poſt ſe
derelinquat. Eum certe Euagore greco viro oībus virtutibus ornato cōparare poſſumus.
qui mortalis cum eſſet: immortalem reliquit memoriam. Felix igitur fauentia que noſtro
ſeculo pre ceteris Flaminee vrbibus: cōtigit habere principem magnanimū: iuſtum: larguȝ:
beneficum: liberalem: ornatuȝ litteris: armis ⁊ cōſilio pſtantem: ⁊ q̄ in tali ſtatu rariſſimū
habetur: ab omni inſolentia alienū. Multa equidem me reliquiſſe puto: que de Galeoto
iſto Mamphredo memorari quirent: que pretermittuntur ꝓpter orationis ⁊ ingenij mei
defectum: hic vrbem Fauentinam non modo virtutibus ſed ⁊ alijs plurimis benefitijs ex-
ornauit. Vxorem enim illuſtris viri Ioannis Benteuoglij Bononienſis filiam duxit.

Idrūtum Apullie maritima Ciuitas hoc āno ab exercitu Mahumeti turcoꝝ principis diu

…LIOTECA …RSITARIA DE GRANADA

CAJA
A - 66